



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1862

XLIV. Bischof Stephan von Lebus belehnt den Frankfurter Bürger Johann
Lichtenberg mit Theile des Zolles in Frankfurt und mit Besitzungen in
Kliestow, am 6. Dezember 1338.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55756)

XLIV. Bischof Stephan von Lubus belehnt den Frankfurter Bürger Johann Lichtenberg mit einem Theile des Zolles in Frankfurt und mit Besitzungen in Kliestow, am 6. Dezember 1338.

In nomine domini amen. Sub anno natiuitatis eiusdem Millesimo CCC^{mo} XXXVIII^o, Indiccione septima, VIII^o Idus decembris, hora nona, in estuario nostro in vrankinuorde nostre Lubucensis dyoecesis comparens coram nobis Stephano, dei gracia Episcopo Lubucensi, discretus vir Johannes lichtinberg fidelis noster, Cuius vrankinuordenfis, proposuit, quod viginti tria frusta brandenborgensium denariorum in theloneo vrankinuordenfi et duodecim mansos in villa nostra Cliftow cum pleno iure et medium chorum filiginis singulis annis in molendino Cliftow, quorum omnium proprietas et directum dominium ad nos et nostram Ecclesiam Lubucensem pertinet, a nobis et successoribus nostris tamquam vasallus noster debeat optinere, petens a nobis instanter, quod sibi predicta omnia in pheodum de nostro beneplacito conferremus. Cum igitur ex ordinacione dudum inter nos et fideles nostros Ciues vrankinuordenfes facta et habita proprietas predictorum reddituum et bonorum sic ad nos pertineat, quod ipsa inpheodare possumus et valemus, Idcirco attendentes grata et fidelia seruicia, que predictus Johannes lichtinberg nobis et Ecclesie nostre exhibuit et ad exhibendum in posterum offert se beniuolum et paratum, predicta XXIII frusta annuorum reddituum percipiendorum in theloneo vrankinuordenfi et duodecim mansos in villa nostra Cliftow cum pleno iure necnon dimidium chorum filiginis singulis annis percipiendum de molendino predictae ville Cliftow eidem Johanni Lichtinberg et suis heredibus legitimis in pheodum per nostrum annulum dedimus et contulimus et nichilominus concedimus et donamus; Ita tamen, quod predicti heredes eiusdem Johannis suis temporibus predicta bona a nobis et nostris successoribus in pheodum petant et recipiant secundum tenorem in diete ordinacionis litteris comprehensum. Actum in vrankinuorde, Anno, Indiccione, Mense, die, hora et loco, quibus supra. Presentibus honorabilibus et discretis viris, dominis Magistro Apetzkone, decano Misnensi, Johanne, Cantore, Jacobo de podegrim, Canonicis Lubucensibus, et Conrado, plebano de Slyfow wratisslauensis dyoecesis, et aliis multis testibus ad premissa. In quorum omnium testimonium presentes litteras per Conradum de henricstorph, notarium publicum infra scriptum, conscribi fecimus et nostri sigilli appensione muniri.

Et ego Conradus quondam martini de henricstorph, clericus Lubucensis dyoecesis, publicus imperiali auctoritate notarius, petitioni, collacioni et donacioni ac aliis premissis cum prescriptis testibus presens interfui, de mandato predicti Reuerendi patris domini Stephani, Lubucensis Episcopi, ad petitionem prefati Johannis lichtinberg, eaque conscripsi et in hanc publicam formam redegi, meo quoque signo consueto et nomine proprio confirmaui in testimonium premissorum.

Nach dem Originale des Stadtarchives, Kliestow No. 4.